



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Ratio posterior ad idem propositum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

pulus, intinctum modicum ex sale & oleo adhibuisset, diei festi contemplatione; Domini sui Crucifixi (quâ se per eos dies meditatione exercuerat) recordatione suspirans, speciem illam deliciarum averfatus est, dicens: *Dominus meta fuit crucifixus, contumelijs affectus, colapsus appetitus, & ego oleum comedam?* Indignum ratus videlicet, eum qui Regis ac Domini crucifixi servum se ac militem meminerit, indulgere sibi ulla in parte; aut (quod postea dixit Bernardus) *sub spinato capite membrum esse delicatum.*

*Serm. 3. de
Omnib: SS.*

§. 2.

Ratio posterior ad idem propositum.

Igitur qui hæc in medullas demiserit, ejusmodiq; cogitationibus animum suum imbuerit, & tanquam educaverit; eum dico sensim, & usu ipso manucente, neque operâ multum difficili, reportaturum hunc exercitationis ac indultriæ suæ fructum pulcherrimum; ut nimirum jam non magnopere ducatur ijs, quæ mundus tam avidenter amat & amplectitur; quin ea potius ex animo oderit averseturque, tanquam eo indigna, qui sectatorem se profiteatur Imperatoris, ac Ducis crucifixi.

Ad quæ ulterius accedit & ista ratio: Qui suavitatem Christi crucifixi semel gustarit, atque ad arcanas & intimas cordis illius delicias admissus fuerit; eum viles illas atque infimas voluptates facile fastidire ac respicere, imò harum, (ut ita loquar) veluti sensum amittere; ut qui gustatum suum tantò præstantioribus ac diviniorebus assuefecerit.

Quò spectat, quod de S. Lutgarde tradit in ejus vita Thomas Cantipratanus. Huic enim etiamnum juvenulæ, eum nescio cujus juvenis molli nimium atque illecebrosâ consuetudine teneretur, & die quadam cum eo ageret, apparuit dulcis Redemptor noster; & quò eam ad sese à vanis illecebris averteret, veste à pectore diducta, latus suum ostendit.

L. 1. c. 11.

ostendit cruentum recenti vulnere; eamq; his verbis graviter admonuit: *Elanditias inepti amoris posthac vide ne requiras. Hic igitur contemplare quid diligas, & quamobrem diligas. Hic ego totius puritatis delicias tibi pollicebor obtinendas. Quod ipse quâ fide ac liberalitate præstiterit, quâmq; illa liquidas sanctâsq; voluptates ex aperto Sponsi sui latere haurire solita sit; videre licet in ejus vita.*

l. 2. c. 1.

Rectè igitur autor libelli de Christi imitatione: *Sis mel* (inquit) *perfectè intrôisses in interiori JESU, & modicum de ardenti amore ejus sapuisses: tunc de proprio commodo vel incômodo nihil curares, sed magis de opprobrio illato gauderes. At mellitè, ut solet, præsertim in suavi argumento S. Bernardus: Sit suavis, ait, & dulcis affectui tuo Dominus JESUS, contra malè ubique dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinè, quemadmodum clavus clarum expellit. Vincet, inquam, dulcedo dulcedinem; sed casta impuram, solida vanam, divina terrenam; hoc est, dulcedinem mundi, dulcedo Crucifixi. His enim tribus quasi gradibus (quod ad rem præsentem attinet) ad Christi crucifixi amplexum ascendes: quorum iste primus est, ut noxias omnes atque impuras voluptates averferis. Alter, ut etiam vanas & superfluas abdicēs. Postremus, ut etiam ab innoxijis licitis ex Christi amore abstineas; immo his opposita, de carnis commodis adversantia, diligas: de quo nobis sermo futurus est amplior capite sequenti.*

Serm. 20. in Cant.

CAPUT IV.

Amor incommodorum, & cupiditas patiens cum Christo.

§. I.

Hunc item affectum exercitationis propositæ fructum est.